Universitätsbibliothek Paderborn

# Vita Et Virtvtes Venerabilis Patris Lvdovici De Ponte, Societatis Jesu

Lamparter, Heinrich

Jngolstadii, 1662

Cap. VI. Nitor animæ Ludovici, & abnegatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43978

Visual Library

tas amplificandi gloriam Dei. Pendebat verò corona ſublimis in aëre; quo Devs indicabat ſanctitatem viri quondam in Eccleſia celebrem, & operibus conſpicuam fore.

## CAPUT VI.

### *NITOR ANIMÆ LUDOVICI, ET ABNEGATIO.*

I.

AMor, quo Ludovicus ferebatur in Devm, ſummam ei curam injecit, ne quid unquam labis prudens ſciens admitteret, quo puriſſimos illos oculos Dei, ſummè ſibi dilecti, offenderet. Tres viri graves, qui generalem ejus confeſſionem de tota vita exceperunt, ſanctè teſtati ſunt, eum nunquam excidiſſe innocentiâ, quam in ſacro Baptiſmo fuerat conſecutus. Jmò firmiſſimè propoſuerat ſibi, cavere omnem o-

*Votum facit ne leviter quidem peccādi.*

mnino voluntariam culpam, etiam venialem: quod generoſum propoſitum, viginti annis ante mortem, adjecta voti religione ſancivit. Servavit autem tam exactè, ut cùm quotidie apud Confeſſarium ſe accuſaret, ille vix potuerit invenire culpam, à qua eum abſolveret. Rem enim verò magnam, & raram, quam Joannes Rho in Ludovico, & in Jacobo Alvaro de Paz conſiderans, ſic ſcribit: *Ardua dicturus, quadraginta ipſos annos, quos Alvarus in Societate vixit, nullius ſe venialis, ut loquimur, noxæ reum ex deſtinatione animi comperiſſe: plures etiam Ludovico eadem integritate abiiſſe. Quod ne cui nimium mirum ſit, ſciat id illis ſine graviore culpa minimè integrum fuiſſe: nam pro ſuo amore ſanctitatis, ſanctè DEO voverant, nunquam ſe ſcientes, videntéſque vel leviter peccaturos.* Jd, quod etiam ideo magìs admireris, quod cùm uter-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

uterque doctiſſimus, & rerum divinarum ſimul, & humanæ infirmitatis gnariſſimus eſſet, neque neſciret, quod in ſacris oraculis eſt, etiam juſtiſſimum quemque ſępius labi quotidie, ipſi tamen ea ſe neceſſitate obligare ſint auſi; utique non facturi, niſi ſuæ vigilantiæ, & auxiliorum à cœlo ſibi affluentium conſcientia animati fuiſſent.

II.

*Nihil in ejus actionibus minùs perfectũ notārũt.*

Atque hoc etiam majus aliquid de Ludovico, graviſſimis teſtimonijs ad ſacrum tribunal, cum juramento, delatum eſt: dĕſo & longo uſu nihil in ejus verbis & actionibus, etiam curioſo arbitrio & attentione deprehenſum eſſe, quod virum examuſſitatè perfectum nõ deceret, vel vitium, aut imperfectionem oleret; ſed ità accuratè ab eo dicta, factáque fuiſſe omnia, ut in ea, quæ erat, rerum conjunctione meliùs non potuiſſet. Ità

non domeſtici tantùm, Joannes de Salzedo, & Ludovicus de Valdivia, magnâ doctrinâ & religione viri teſtati ſunt; ſed etiam externi, Celſiſſimus Princeps Joannes de Requeſens Zuniga & Pimentel, Marchio de Villar, ſummæ dignitatis & prudentiæ: nec non Venerabilis Mariana de S. Joſeph, Fundatrix Recollectarum S. Auguſtini; quæ addit, quantumcunque in hoc genere dicatur de Ludovico, procul ab adulatione, aut exaggeratione futurum.

III.

*Quas ſibimet leges præſcripſerit*

Neque his difficulter aſſenſerit, qui cogitabit, quàm exactas ſuis actionibus leges, quas è Commentario ipſius hûc referam paucis, ipſe præſcripſerit: *Prima* fuit, ut ante ſingulas elevato ad DEUM animo, lucem & gratiam peteret, eas peragendi illa perfectione & modo, qui quàm maximè illius Ma-

Majeſtati placeret, conjunctim cum actionibus Chriſti Domini noſtri. *Secunda*, ut ſingulas, cùm finitæ eſſent, revocaret ad ſtrictum examen, poſtea generatim denuo examinandas cum alijs. *Tertia*, ut pro ſingulis DEO gratias ageret, cujus unius honori, & obſequio eas exercere voluerit. *Quarta*, ut aliquam ſingulis afflictationem (ſive, ut vocamus, mortificationem) ſuæ ſpontis adjungeret: videlicet inter orationem, aut ſtudia, extenſionem brachiorum in crucē, &c. *Quinta*, ut cùm ſolus egrederetur è cubiculo, vel ingrederetur, oſculum pangeret imagini Chriſti Crucifixi, & ſanctiſſimæ Matris ipſius, ſuum in eos effectum inſtaurando. *Sexta*, ut quotidie ante ſacrum per confeſſionem expiaret animam, quò purior ad illum fontem ſanctitatis accederet. *Septima* denique, ut preces Canonicas perageret

ſemper

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſemper è genibus: quæ omnia, quamdiu potuit, ſervavit ſanctiſſimè. Certè nulli unquam interroganti reſpondit, niſi clauſis tantiſper oculis lumen à Deo petijſſet, & conſiderâſſet, quid reſponderet, & quâ menſurâ verborum: ordinem quoque actionum, ſemel propoſitum ſibi, cõſtantiſſimè tenuit, vel inter medios dolores corporis. Quare etiam eos, qui tantùm honoris, & ſalutationis cauſa ad ſe venerant, comiter expedivit quàm citiſſimè.

IV.

*Quatuor pravæ intentiones cavendæ.*

Quàm autem rigidus cenſor eſſet intimorum animi ſui motuum, ex eo colligere eſt, quod in ſuo Commentariolo notavit in hunc ſenſum: *Quatuor pravas intentiones,* inquit, *ſum expertus, quæ me impugnant in ſpiritualibus exercitijs.* Prima eſt vanitatis, *ut ab alijs æſtimer ſpiritualis.* Secunda curioſitatis,

*ſentiendi divinas illuſtrationes, raptus, extaſes, & ſimilia, magìs ut experiar, quàm ut gloria DEO indè proveniat.* Tertia gulæ ſpiritualis, *ut deſiderem dulcedines, conſolationes, lachrimas, & ſimilia, propter delectationem, quæ in illis eſt.* Quarta Quæſtus, *& lucri proprij, quærendo profectum & favores ſpirituales cum perturbatione & anxietate, magìs ut liberer moleſtia, quæ eſt in egeſtate ſpiritûs, quàm ut DEUM honorem. Debeo igitur me animare, ut omnia faciam intentione tam pura, quàm faceret Angelus, ſincerè & unicè quærendo voluntatem DEI propter ſe ipſam, exuendo me omni cupiditate proprij lucri, temporalis, ac ſpiritualis.* Nihil eſt ergo mirum, etiam lynceis oculis, nihil in actionibus ejus externis, vitij notatum fuiſſe, cùm tàm argutè caverit, ne illas mens aliò, quàm in honorem, & voluntatem Dei collinearet.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

V.

*Cupiditatum edomatio.*

Perfectum animi nitorem conciliant ſeveritas in moderandis cupiditatibus, & caſtigandis, quam Christiani Mortificationem nominamus, ac Pœnitentiam. Priorem Ludovicus cenſuit conſiſtere vigilantia in obſervandis motibus animi, & ſubitò reprimendis: ad inſtar militis, qui in excubijs, ut primùm videt hoſtem accedere, protinus eum invadit, occidit, & occiſum inhumaniter excarnificat, ad aliorum terrorem: ſic & is, qui excubat animo, pravos ejus motus opprimit ſtatim, & genus pietatis reputat, hac in re ſibi eſſe crudelem: vel ut catus (quemadmodum S. Climacus ait) advigilat muri, ſic ſtudioſus virtutis accubat ſuis pravis motibus, & ſtatim interimit, cavendo ne ludat cū eis, & ut felis muri, libertatem permittat. Quod ut facilius poſſet, in Commentario ſuo omnes

omnes motus inordinatos reduxit ad quatuor genera. *Primum* conſtituit in cogitationibus & imaginationibus, quæ ſunt vel de rebus noxijs, vel vanis, vel inconvenientibus tempori; vel importunè ſtimulant, vellicant. *Secundum* in affectionibus ac deſiderijs, vel prohibitarum rerum, ut quæ oriuntur à ſuperbia, ira, invidia; vel urgent modo inconcinno, ut ſi cum perturbatione, & anxietate feror in ſtudia litterarum, ſcientiam, concionandi munus, &c. *Tertium* eſt animi repugnantia in exercitio virtutis, cum tepore quodam & ignavia, ut fit in rebus pertinentibus ad cultum Dei, & in his, quæ poſtulat obedientia, vel amor proximi. *Quartum* eſt libertas ſenſuum, videndo, audiendo, loquendo, tangendo ex curioſitate, impetu, levitate: quæ ſi edomuero, inquit Ludovicus, & peremero, nihil amplius

*Quatuor genera pravorũ motuum animi.*

pliùs impediet unionem cum Deo, & familiaritatem perfectam, ut dicere poſſim; *Introduxit me in cellam vinariam, & ordinavit in me charitatem.* Id, quod ſe dicit agnoviſſe quondam in ſacris Exercitijs, & cùm ſtuduiſſet huic vigilantiæ, experimento comperiſſe, quàm rectè Chriſtus dixerit: *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.*

VI.

*Amor Dei ad mortificationem inclinat varijs modis.*

Addit ibidem, hanc diligentiam & ſtudium mortificationis excitari ab amore Dei, qui inſtar fluvij ſeptem brachijs ruens, alveum ſibi facit, perfringendo quæcunque obſtiterint: nam obſtaculis mortificatione perruptis, liberè ſepteno agmine fluit, ac tendit *primùm* ad internecionem hoſtium ſuorū præcipuorum, quæ ſunt peccata, & ad eorum auctores, voluntatem, ſenſus, & carnem, ſeverè caſtigandos pro meritis, ne porrò tale quid



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

audeant: in quo ipſi mortificatio ſervit. *Secundò* ad ſui augmentum infinitum, deſiderando magìs, magiſque nôſſe & amare DEVM ſuum. Cui incremento, quia obſiſtunt affectiones terrenæ, illas vi mortificationis perfringit: quoniam docente S. Auguſtino: *Diminutio cupiditatis, eſt augmentum charitatis. Tertiò* ad recognoſcendum grato animo auctorem ſui, quem ut gratis & immerenter produxit, ità etiam alit, auget, perficit, infinito beneficio. Pro quo deſiderat ei reſpondere inſigni aliquo obſequio, ſerviendo ejus Majeſtati terra & mari, quacunque impenſa, ſanguinis & animæ: & hoc mortificatione conſequitur, dicítque; *Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ tribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam. Quartò*, ut ſimilem ſe pręſtet ſuo Dilecto: ſic enim & magìs unietur ipſi, & charior fiet: quia ſi-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

militudo amoris eſt cauſa: Et ſicut vita Chriſti, quem amat, fuit perpetua mortificatio, cum paupertate, contemptu, dolore & labore continuo: ita & ipſe mortificationem amplectitur. *Quintò* ad benefaciendum his, quos amat ſuus Dilectus: hi ſunt homines, quorũ animos Deo lucrari, & adjungere ſtudet, ut augeat eius cenſum & regnum, ſervítque etiam eorum corporibus, cùm indigent: in ijs enim ſuum dilectum aſpicit. Hoc autem ſine multa mortificatione non fit. *Sextò* anhelat ad amplexum ſui dilecti, à quo ſe duabus rebus impediri videt, meritorum requiſitorum defectu, & nondum expiatarum culparum, pro quibus ut in altera vita minus luendum ſuperſit, & ut menſuram debitam meritorum adæquet, avidè ſe omnigena mortificatione ingurgitat: novit enim eum, qui vivit &
mori-

moritur in cruce, magnis paſſibus properare ad amplexũ Dei; quando bono latroni dictum eſt: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* *Septimò* denique, ſummo, quo poteſt, impetu amor fertur ad implendam omnino voluntatem dilecti ſui, pro ejus majore gloria; cui poſthabet omnia ſua lucra & commoda: quod ut ei gratum accidat, omnis mortificatio ipſi eſt in delicijs. Atque ut homo ſatur cibo delicato, nauſeat alios; ſic amor Deo plenus nihili facit alia omnia; unde ipſi facile eſt, illa nec videre, neque guſtare, neque poſſidere. Quemadmodum Deipara in ſua paupertate contenta fuit ſolo Filio, dicendo cum matre Tobiæ: *Omnia in te uno habentes.* Atque ad hoc Ludovicus crebrò ſe obtulit, petendo à Deo, ut ſeptem iſtis fluxionibus, &, ut ipſe vocat, inclinationibus amoris, in ſe nihil remaneret obſtaculi.

## VII.

*Paſſiones animi quomodo reprimendæ.*

Annotavit præterea modum, quo primarij motus animi, gaudium, triſtitia, ſpes & metus, & reprimi poſſint, & ad meritum attolli, vel temperari, ſi mens bene advigilet. Nam primò, ſi de rebus malis, aut nihil ad me ſpectantibus, oriantur, facilè reprimet eos ratio vigilans. Aſſolet enim homo ſæpe commoveri gaudio, ſpe, metu, triſtitia, de rebus puerilibus, aut imaginarijs, quæ nec ſunt, nec erunt, aut omnino ad eum nō pertinent, fruſtra tamen occupant intellectū, & voluntatem, & ſic infirmant robur animæ, ne ſe obſequio divino per hos affectus, ut oportet, impendat. Si verò moveant res naturales & fortes, in gradum virtutis elevandi ſunt, ac referendi in DEVM, non attribuendo mihi, quod in illis invenio. Ut ſi delectet me cibus, res pulchra, honor annexus

xus officio meo, debeo delectatio-
nem attollere in DEVM, horum au-
ctorem. Sicut ille, qui dixit: *Dele-
ctaſti me in factura tua:* nullo mo-
do acquieſcendo in eo, quòd mihi
ſapiant, placeant. Si ſpes oboria-
tur alicuius rei, debeo illam ſperare
à manu DEI, pro ejus honore &
obſequio. Similiter ſi triſtitia, ſi
timor alicuius mali inceſſat, debeo
timere, dolere offenſa, vel jactura
DEI: ſic ut omnis timoris, mœro-
ris, lætitiæ, ſpei, ſolus DEVS ſit cauſa:
Modum autem temperandi affe- *Eadem*
ctus hunc adinvênit Ludovicus, ut *quomodo*
miſceantur contrarijs: ut ſi dele- *tempe-*
ctet me cibus, aut honor, excitem *randa.*
in me triſtitiam, quòd non tracter,
ut mereor meis peccatis: timorem,
ne DEVS fortè his remunerari me
velit, nulla ſpe præmij ſecuturi in
altera vita; & ne hoc impediat me
in obſequio DEI. Si doleant res ad-
verſæ, excitare debeo gaudium,

quòd tracter pro meritis, Dei providentiâ ſic procurante meum bonum ſpirituale, quod indè poteſt exiſtere. Si timeam confuſionem, concipiendum eſt deſiderium, & ſpes, tanquam è re, unde mihi multa bona poſſint oriri, inter quæ eſt meritum humilitatis, ac patientiæ. Si ſpes proſperitatis alluceat, excitabo timorem, ne felicitas ea mihi damno ſit; ne illa mihi pro mercede rectè factorum computetur à Deo; ne me impediat in divino ſervitio. Hoc ſenſu putabat Ludovicus intelligi poſſe, quod à Deo dictum eſt olim S. Franciſco, ut accipiat dulcia pro amaris, & amara pro dulcibus: videlicet gaudium, ac ſpem, vertendo in triſtitiam, & metum. Hunc autem, ac triſtitiam, in ſpem & gaudium: juxta illud: *Si ſeparaveris pretioſum à vili, quaſi os meum eris.* Etenim in qualibet re eſt aliquid boni, quo gaudeas; mali,

mali, quod refugias, ac doleas: ut in honore, quem admittere debes ratione tui officij, conſideratâ tuâ indignitate, periculo, vanitate rei, eſt quod doleas; ſed ſpectãdo, quòd juvet, ut meliùs fungaris officio, eſt, cur eum acceptes. Atque hæc eſt vigilantia, quâ Ludovicus tam feliciter eſt uſus in reprimendis, & moderandis ſuis affectibus, ut teſte Mariana de S. Joſeph, ſæpius laudatâ, viſus fuerit omnibus carere, quaſi mortuus, cùm tamen ( ut illa dicebat ) eſſet cholericiſſimus.

VIII.

*Variæ mortificationes Ludovici.*

Multa paſſim in ejus vitæ narratione documenta vidimus iſtius, ad omnem ſe ipſum vincendi occaſionem intentæ vigilantiæ: quibus accedant hæc pauca. Præſcripſerat ei medicus, reſtaurando, qui totus peſſundatus fuerat, ſtomacho, panem ſaccharatum è vino ſumendum. Bis accepit, ut obedi-

ret, nec ampliùs; propterea, quòd jam ſentiret aliquod ſui levamentum: quæ ipſa videri poterat juſta cauſa pergendi in uſu ejus remedij. Alio tempore, cùm nauſea lethali teneretur omnium eſcarum, quædam ejus ſtudioſa, quæ id reſciverat, miſit ei amylum. Bis acceptavit pro medicamento: & cùm nauſea remiſiſſet, vetuit mitti deinceps: at cùm illa pergeret mittere, edixit illi, niſi ceſſet mittere, ſe non ampliùs eam ad confeſſionem admiſſurum. Cùm aliàs varia miſſa forent ei ab amicis cupedia, nihil eorum attigit, ſed juſſit omnia diſtribui inter alios infirmos: ſed cùm notâſſet aliquid eorum in capſa ſub menſa aſſervari pro ſe, non quievit, donec omnia forent ablata, nolens cubiculum ſuum eſſe cupedinarium. Appoſitus erat ei panis primarius, quem ut audivit communem reliquis domi non eſſe,

eſſe, ſed foris allatum, noluit comedere. Fructibus novis interdum apponi ſolitis, prunis, ceraſis, uvis, abſtinuit ſemper, niſi imperaretur pro medicamento. Jnterdiu nunquam comedit, nec bibit, licet ſiti vexaretur ſemper intolerabili: nunquam animi causâ prodivit ad campos. Si quando, negotio ità poſtulante, veniret in locum amænum, ita frænabat oculos, nihil ut ex ejus aſpectu caperet voluptatis. Jta quondam Comiti Antonio Pimentelio, de rebus gravibus cõſulenti cùm ſatisfeciſſet, deambulando in horto per tres horas, receſſit, nec pomario, nec reliqua loci amænitate inſpecta. Pari modo, cùm in Collegio neſcio quod ſolenne celebraretur, ipſe tempus id in templo genibus flexis inter preces conſumpſit. Nec molliùs tractavit reliquos ſenſus: nunquam egreſſus cubiculo, niſi cauſa urgente:



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

gente: nunquam res novas percunctatus, aut memorans; in lecto cùm æſtas eſſet, nunquam ſe verſabat, partem frigidiorem quęrendo. Plurima id genus in eo notârunt ij, quibus erat major conſuetudo cum eo; ut appareret eum ſervâſſe propoſitum, quod ſe dixit aliquando feciſſe, mortificandi ſe in omnibus. Jta enim cum Apoſtolo ſemper mortificationem JESV in corpore ſuo tulit, ut & vita Domini JESV exprimeretur in ejus corpore.

IX.

*Rigores Ludovici contra ſeipſum.*

Jam pœnitentiæ tantus in eo fuit rigor, quantum ignis divini amoris contra peccata, & cauſas eorum accenderat: vigilijs, iejunijs, flagris, cilicijs, alijs ſupplicijs minimè clementibus illa vindicando, non habitâ ratione ſuæ ætatis, & virium. Geſtavit enim continuò induſium cilicinũ; quotidiana largáque flagellatione ita ſe

ſe ipſum excepit, ut crepitus plagarum audiretur in tota vicinia, & fruſta flagelli diſſilirent: ſomnum capiebat perbrevem, in veſtibus, ſupra duram tabulam, niſi quòd multas noctes inſomnis tranſegit; jejunium ejus cenſeri potuit perpetuum, ut qui fere ſolis herbis veſceretur, & aqua, ad tres uncias admenſa; in cubiculo cùm ſolus eſſet, ſæpe paſſis in crucem brachijs manebat, ea ſe figura Chriſti, quem unicè diligebat, oblectans. His, aliíſque modis ità ſuum corpus exhauſit, ut vir primarius, qui S. Jſidori corpus à tot ſeculis incorruptum viderat, non dubitârit aſſerere, Ludovici viventis corpus multò aridius eſſe. Quamvis autem Superiores appoſuerint ei ſocium, qui cum poteſtate cõtineret illum regionibus debitæ moderationis, & modeſtiæ, ne ſe ipſum ante tempus conficeret; & ipſe morem illi

geſſerit;

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

geſſerit; ſemper tamen, uſque ad extrema, vigiliarum, & quotidianæ flagellationis, uſum retinuit: qui tanta cupiditate vindictæ in ſua, licet exigua, peccata, velut injurias Dei, tenebatur, ut ſcripſerit in ſuo Commentario, ſe affici gaudio, quòd Devs non tantùm benignè peccata remittat, ſed etiam puniat: magíſque petere, ut nunc ea Devs in ipſo pro miſericordia puniat, quàm ut ſine debita ſatisfactione de ſuæ Majeſtatis injurijs, clementer condonet. *DEVS ultionum Dominus, DEVS ultionum liberè egit. Exaltare qui judicas terram: redde retributionem ſuperbis. O DEVS ultionum,* inquit, *gaudeo, quòd exaltaris, monſtrando tuam juſtitiam: puni hunc ſuperbum; caſtiga meam ſuperbiam, meam ambitionem, meam vanitatem, meam ſimulationem, ità, ut ſatis tibi faciam.* Vſquequo peccatores gloriabuntur! *Quamdiu, Domine,*

*Delectatur juſtitià DEI punientis peccata.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*mine, hi mali motus, & inclinationes meæ gloriabuntur de me contra te? Ideo hîc me cum Sanctis tuis ad vindictam offero.* Lætabitur juſtus, cùm viderit vindictã in ſe expeti, quàm in purgatorio, tã in terra. *Sic intellexi verbum Sponſæ de* DEO *ſuo, quòd ſit* totus deſiderabilis: *quod enim in eo videtur acerbum ac terribile, ut eſt juſtitia vindex, tam eſt amabile, quàm ſua bonitas, ſua ſapientia, & alia attributa & perfectiones divinæ. Hîc ego non poteram commoveri timore pœnarum, ſed eo ſolo, ne me* DEVS *deſerat. Vnde ſæpe ſolebam dicere:* Nõ me derelinquas uſquequaque. *Et,* à te nunquam ſeparari permittas. Hactenus ipſe: cuius tam admirabiles affectus, non niſi à maximo DEI amore, poterant provenire.

X.

Quantum verò DEO placerent ejus rigores, cognovit illa Religioſa, cui (ut ipſa perhibuit apud Judices)

dices) inter orandum oſtenſus eſt hortus concluſus quatuor peſſulis, in quo redolebant omnis generis fragrantiſſimi flores. Quem hortum intellexit eſſe Societatem JESV, munitam quatuor ſolennibus votis, & florentem hominibus inſignibus: inter eos lilium vidit candidiſſimum, cum aureo limbo, quæ Ludovici virtutum effigies erat: virgineam ejus integritatem gratia DEI circumdante. Jn ſex folijs lilij cernebantur totidem cruces aureæ, quòd ſua omnia cruce conſignâſſet, inſtar Apoſtoli, mortificationem Chriſti in corpore ſuo circumferentis: prima cruce ſignificabantur ejus jejunia, ſecunda vigiliæ, tertia flagellationes ac cilicia, quarta compreſſio cupidinum, quinta in morbis & injurijs, ac ſuis rebus omnibus taciturnitas; vltima patientia, & animi ad omne genus morborum præparatio: quæ quidem

quidem omnia meritò deſignata ſunt auro.

## CAPUT VII.

### FIDES ET FIDUCIA DE DEO.

#### I.

Quàm firma ac vivida in animo Ludovici Fides rerum cœleſtium vigeret, quæ memorata ſunt, abundè, niſi fallor, demonſtrant; quando ſine penitiſſima illarum impreſſione, tantus amor Dei, tanta malorum patientia, & appetentia eſſe non potuit. Et verò ipſe gnarus, quantum eſſet in eorũ myſteriorum ſenſu, vivâque ſub oculos animi revocatione, momenti, toto ſe ſtudio ad eorum conſiderationem applicabat, ut quantum fieri poteſt, ea non ſolùm penitus intueretur, ſed etiam deguſtaret, animíque complexu teneret. Animadverſum eſt, & memoriæ

*Vivaciter apprehendit res Fidei.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN